





Cracovien:

Concessionis Facultatis decantandi Missam Votivam coram Sepulchro B. JOANNIS CANTIJ quavis Feriâ quinta per Annum, non obstantibus Festis etiam Ritûs duplicis majoris, occurrentibus.

Offerente Serenissima D. MARIA IOSEPHA SOBIESKA, pro sua in Beatum IOANNEM CANTIVM insigni pietate, fundum, seu fructum annuum pro Missa de illo Votiva, post solitam Conventualem in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ quavis Feriâ quinta per Annum, in qua Festum etiam Ritûs duplicis majoris inciderit, cantanda; Itaq; pro facultate desuper necessaria & opportuna supplicante. SSmus Dñus Noster BENEDICTVS PAPA XIV. prudenter considerans, hìc agi de Opere pio in perpetuum fundando; dequè Missa Votiva in honorem Beati quidem, necdum Canonizati, sed unius ex principalioribus Regni Poloniæ Patronis à Sede Apostolica jam declarati; eaquè una tantùm singulis hebdomadis, postq; Missam Conventualem, & in Ecclesia Vniversitatis Cracoviensis, in qua Beatus IOANNES vivens floruit, & mortuus etiam requiescit, celebranda, ac deniq; Serenissimæ Sobieskæ Domûs, in qua Oratrix ipsa existit, magna in Ecclesiam Catholicam, & illustria esse merita: his omnibus attentis, piæ hujusmodi petitioni benignè annuit. Hac die IX. Septembris. 1742.

Fr. I.A. Card: Guadagni ProPræfectus.
F. Patriarcha Hierosolimitanus, Secretarius.

(L.S.)

MICHAEL de Granow WODZICKI
DECANVS, VICARIVS in Spiritualibus, & OFFICIALIS Generalis Cracoviensis, ABBAS Commendatarius Vachocensis.

Universis & singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, significamus. Quia Nos visis & lectis Literis Apostolicis, supra descriptis, Facultatem celebrandi Missam Votivam solennem, in Honorem B. IOANNIS CANTII, Feriis Quintis, per annum, in Ecclesia Vniversitatis Cracoviensis, aliàs in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ, datam, in se continentibus, easdem uti veras, authenticas, & non suspectas, recognovimus, Ipsasq; juxta vim, tenorem, & obloquentiam suam, per Ecclesias coram Populo ad Divina audienda congregato, publicare, Authoritate Nostra Ordinaria permisimus. In quorum fidem præsentes manu propria subscriptas, Sigilló Nostro communiri jussimus. Cracoviæ Die 17. Mensis Octobris. A. Dñi 1742.

MICHAEL WODZICKI Decanus, & Officialis Generalis Cracoviensis.

(L.S)